

Libraria Pontificia
FRIDERICI PUSTET
 ROMAE - PIAZZA S. LUIGI DE' FRANCESI, 33. - ROMAE

Bibliotheca Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum
 terarum cultoribus accommodata. - Collectio optimorum operum SS. Pa-
 trum tum Graecorum, tum Latinorum cum commentariis amplisque praefatio-
 nibus. Singula volumina ad pag. 250 concinne impressa ven. lib. 3.

VOLUMINA EDITA.

SERIES I.

- Vol. I. — Didaché, seu Doctrina XII Apostolorum - Epistola I Clementis ad Corinthios.
- » II. — Ignatii et Polycarpi, Epistolae.

- » III. — Barnabae, Epistolae - Epistola ad Diognetum - Clementis Romani, Epi-
stola II ad Corinthios.

- » IV. — Clementis Romani, Epistolae de Virginitate - Hermae, Pastor (Visio-
nes, Mandata).

- » V. — Hermae, Pastor (Similitudines) - Papiae, Fragmenta.

SERIES II.

- » III. — Irenaei, Adversus haereses (Pars I et II - Volumina duo).

SERIES III.

- » I. — M. Minucii Felicis, Octavius - Q. Sept. Flor. Tertulliani, Apologeticus.
- » II. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, De praescriptione haereticorum - De testimonio

- animae - De baptismo - De poenitentia - De oratione - De pudicitia.

- » III. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (Lib. I et III).
- » IV. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (IV).

- » V. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (Lib. V). Adversus Va-
lentinianos.

SERIES V.

- » I. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. I et IV).
- » II. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. V et VIII).

- » III. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. IX et X).
- » IV. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. XI et XII). De Synodis seu De

- Fide Orientalium.

- » V. — Ambrosii Mediolanensis, De Fide ad Gratianum Augustum (Lib. I et III).
- » VI. — Ambrosii Mediolanensis, De Fide ad Gratianum Augustum (Lib. IV et V).

- De Spiritu Sancto ad Gratianum Augustum.

SERIES VI.

- I — Aurelii Augustini, Confessiones (Pars I et II - Volumina duo).

SERIES VII.

- I. — Sancti Gregorii M., Epistolae Selectae (Pars I et II - Volumina duo).

Libraria Pontificia Friderici Pustet, morem gerens pluribus viris auctoritate gra-
 vibus, suam fecit periodicam hanc collectionem ex Societatis Editricis dissolutione
 aliquot abhinc annis intermissam. Iamque singulare doctorum virorum collegium con-
 stituit, ut proximo scholarum anno ineunte publicatio resumi possit, eaque usque ad
 finem, nulla interposita mora, perducatur. In primo volumine opus S. Irenaei *Adversus*
Haereses absolvetur, curante insigni doctore Mannucci. Deinceps antecessio fiet
 operibus nondum editis aut incompte vulgatis ex Patrologia clarissimi Migne.

Ann. I.

Romae, Idibus Iuliis MCMXIV

Fasc. III.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12
 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite
 mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ~ ~

SPES AFFULGENTES

ex recentibus Europae fatis

Quae bella gesta sunt superiore anno
 per Macedoniae fines et per Graecorum
 oras terra marique asperrima, quaeque
 illarum regionum incolis novam fortu-
 nam compararunt, unum idemque —
 aut ego fallor — visa sunt maturare fa-
 tum, atque in eumdem semper conspirare
 triumphum Christiani nominis, quem
 Iesus selectae sibi sponsae promisit.

Nec sine perspicua Divini consilii si-
 gnificatione contigit, ipsa redeunte sae-
 culari memoria susceptae per Constan-
 tini edictum libertatis, barbarorum co-
 pias fere undique fuisse finibus pulsas,
 quos quarto ante saeculo et Christianae
 reipublicae et Romano imperio abri-
 puerant.

Quamvis autem fuerit Christianis pas-
 sim gentibus luctuosissimum, miserrima
 invidia tanti facinoris praemia non levi-
 ter esse imminuta, et fraterno denique
 bello ipsos victoriae campos esse pes-
 sime cruentatos, humanitati tamen no-
 strae credidimus non infaustum, tum
 veteris Graeciae fines esse maxime re-
 constitutos, tum Rumenorum reipublicae
 eas regiones esse additas, quae eius di-
 tionem gentis necopinato dilatarent.

Scimus equidem satis, quod Romana
 memoria decidet nunquam, utrumque
 populum mala superbia correptum, ab
 Ecclesiae communione descivisse, ne vi-
 deretur Romanae ditioni parere; sci-
 mus, atque nihil dolemus magis, pleros-
 que Graecos, Photio duce, oblitos iamdiu
 christiana imperii sui originem, atque
 in communem parentem diuturnam per-
 duellionem molitos. Quod enim obtinet
 artium ingenuarum laude atque huma-
 nae sapientiae, id maiorum suorum ope-
 ribus iure meritoque tribuere Graeco-
 rum gentem audimus; quae vero post
 proclamatum Athenis Christi Evange-
 lium a Paulo, accesserunt ipsi regna, ma-
 gnaque tropaea et gloria tum doctrinae
 tum sanctitatis, una tantum vi Christiani
 nominis parta sunt, atque una omnino
 Romani imperii auctoritate. Non enim
 alio titulo Byzantini Caesares regnabant,
 nisi Romano, neque alias Ecclesiam
 Athanasius, Basilius, Chrysostomus nisi
 Romanam profitebantur.

Cuius sane Ecclesiae recepta antiquitus
 gratia causa fuit princeps sacrae illius
 Graeciae seminis servandi et fovendi
 inter diuturnam servitutem, idque per
 impervias maxime monasteriorum soli-
 tudines et arces, quas fere nullum bar-
 barorum vestigium pressit. Ibi enim spes
 est diu enutrita recuperandae aliquando
 libertatis, atque clam tentati enses, quae

mox Botzaris aut Canaris manus armarunt, crucesque sacratae, quae redemptorum vexillis impositae sunt. Quorum sane virtus una ferme exstitit Graeciae renovatae parens et altrix, atque hodiernae dilatationi una felix dedit initium.

Quod autem Rumenos attinet, ecquis ignorat quanto illi sibi honori et gloriae ducant Romanam originem, et sermonem latina lingua formatum? Aut quale studium Aliae huius Parentis profiteantur divique Traiani, qui, positis ad Danuvium flumen castris, eorum genti dedit auspicia, et litoribus barbaris Romanam intulit humanitatem? Scimus et de ea gente illud non impediisse, quominus finitimarum perduellionem facile sequuta, dum Romanum genus iure gloriatur, iniuria tamen sacram Ecclesiam Romanam abiuraverit.

At vero confidimus non sine causa communis originis memoriam tamdiu viguisse et contra tum diuturnam barbarorum servitutem, tum finitimarum insidias durasse constantem; denique vero, restituta libertate, ita feliciter Rumenorum auxisse ditionem, quae ad Slavorum usque fines manaverit. Quum enim inter eosdem Slavos, licet asperrimum perpessa fatum, duraverit ac viguerit Polonorum inconcussa fides, hinc inde videmus illos gloria stirpis, hos autem religionis amore nobis esse coniunctos et ad Romani nominis tempia ac monumenta, mediis quoque in Slavis constituta, excubias vigilantissimas agere utrinque.

Hinc inde igitur elementa latinitatis coalescere paullatim non sine trepida spe videmus, unumque illud ominamur, ut properet victoriae dies; unum precamur idemque, quum quotidie divini Regni adventum Dominica prece postulamus. Quae enim superbia aut aemulatio dissolvit, ea recomponat amor oportet.

Iamdiu namque abest timor Romanarum securium, aquilarumque nostrorum; iamdiu cruenta rapina cecidit.

Stat, contra, atque in dies augetur suavissimum Crucis imperium, quod Iesus e Golgotha, Petrus autem e Vaticano monte promulgarunt. Quorum subesse ditioni nemo negaverit, qui voluerit Christi evangelium profiteri fidus, memineritque antiquum illud gentium imperium nova lege traditum esse Petro atque haeredibus eius: imperium dicimus pacis atque caritatis; quippe ab eo Rege positum, qui illa de se dulcisima edebat: « Iugum meum suave est ».

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

Martialis rusticans

JOSEPHO RIGONI
meo optimo ac suavissimo Praesidi.

Fuerunt qui, infirmis sane argumentis freti, nec totam litterarum notitiam amplectentes, omnibus nervis id vellent contendere, antiquos scriptores qui sui quidem ingenii praeclera monumenta in artibus universis reliquerint, sensu qui dicitur naturae omnino fere caruisse; qua in re longe nobis esse inferiores. Scilicet, quum satis superque prae illis omnibus quae in natura fiunt admirabilia, commoveamur, et hortorum suavitatis et luci obscura quies et lympharum garrulitas et arborum laetarum species et florum varia venustas et segetis fluctuatio, ne dicam alia sesenta quae in nostris oculis continuo obversantur spectacula, nostrum animum nostrosque sensus allicit, veteres contra vel parum vel admodum nihil prae tot dulcedinis suavitatisque plenissimis portentis commoveri, adeo ut quam pauca possis huiusmodi commotionis in eorum scri-

ptis vestigia invenire. Quod quantum a vero distet, nemo est qui ignoret; praesertim cum nonnulli viri eruditii, non per transennam ac veluti primis labellis id tantum attingentes, sed prorsus ad id unice intendentis ut multum in vexata quaestione elaborarent, totam eam complexi sint penitusque de ea conquiserint.

Non opus est hic eorum nomina afferre, qui mira cum diligentia ac subtili ingenio et praeclera doctrina hoc argumentum agitarunt; neque dicendum puto quam de eadem re et Gallici et Germanici scriptores, prae nostris, optime meruerint. Oportet vero tantum illud aureum sane opus et egregiae artis usu atque calliditate confectum meminisse, quod a. 1912 Londinii evulgatum fuit, quodque Geikie exaravit, illud scilicet « *thema* » novis argumentis amplificans quod iam primis velut lineis designasset, dum Regiae Societatis praefecturam memorabili quodam sermone susciperet (1). In quo, ut par est, prae aliis rebus, felici quadam novitate de illa *divini gloria ruris* disseritur, quae apud poetas « *Augusteos* » maximo fuit in honore, quaeque summis laudibus concelebrata est, non ad sui cuiusque operis ornamentum aut loci communis cuiusdam causa inferendi, sed ut eorum sensuum sincera significatio, tamquam origo et fons omnis penitioris suavitatis aut dulce et blandum lenimentum negotiis curisque vitae et necessarium quoddam animi corporisque solacium. Non enim est *rus durum et laboriosum*, de quo vide C. Licienium Calvum (in Poematum fragmentis); sed illud *rus amoenum, viridans, geniale*, si ita potest dici, illa ruris silentia

(1) Cfr. *The Love of Nature among the Romans*. By Sir ARCHIBALD GEIKIE, London: John Murray, 1912.

et otia, illa « *foecundi rura beata soli* », quae suis deliciis, suis opibus, suarum frugum opima varietate, suaque tranquillitatis spectaculo veteres Romanos quam maxime tenent, adeo ut in singulis eorum verbis possis fere distinguere ac secernere quantum animus, quantum cor specie ruris alliectum fuerit.

Sed dum meminimus quid veteres, Romani praesertim, de natura senserint, et opus Geikii digna laude celebramus, iam videmus a nostro proposito longe discessisse; qua re, venia impetrata ab humanissimis huiusc commentarii lectoribus, illuc revertamur.

Placet hic, fere per otium, plurima saecula transilire. Ne riseritis, oro, hunc meum audacissimum saltum: si saliunt omnes, *funambuli* quique saltatorium vel *funambulariam* artem haud exercent; si in nostris moribus est per sublime ferri continuo, omnibus spatii impedimentis morisque neglectis, ecquid prohibeo in saecula insilire, non in terore *hippogryphi*, sed alis tantum mentis cogitationisque sustentus, et in illum situm me conferre ubi lepidissimus Epigrammatum scriptor, Martialis scilicet, rusticari soleret? Videamus igitur eum rusticantem, ut quid ipsi commune cum Horatio sit, facile dijudicari possit.

Martialis amat rus: id ipse aperte confitetur; nec ulla ratio est vel causa, quod de huiusmodi tam simplici et sincera confessione possis dubitare. Si enim suos quosque mores nulla reverentia patet, si totum se ante oculos nostros nudat; si per eius epigrammata in interiora ipsius naturae atque ingenii penetramus: ecquid mirum si « *ingeniosus et acutus et acer* » (2) et simplex poeta

(2) Ita eum appellat Plinius Secundus in ep. 21, III. Et paulo post de eodem dicit: « qui plurimum in scribendo haberet et salis et fellis, nec candoris minus.... ».

*Bilibensis, nullo scilicet vesicae fuco
intinctus et ab insano syrmate quam
maxime abhorrens, se ruris amatorem
exhibit? Quid enim scribit ad Fron-
tonem?*

*Vota tui breviter si vis cognoscere Marci,
Claram militiae. Fronto, togaeque decus:
Hoc petit: esse sui nec magni ruris arator
Sordidaque in parvis otia rebus amat.*

(Ep. I, 56).

In quo pergit obiciens urbanae vitae
incommidis ac fastidiis rusticae delicias
et oblectamenta. Dulce enim est illi
«*exuvias nemoris rurisque beato — Ante
focum plenas explicuisse plagas*»; dulce
«*flavaque de rubro promere mella cado*»...
illa omnia, denique, dulcia sunt, quae
rure manant amoeno quaque veram et
diuturnam et usque in medullas per-
meantem suavitatem infundunt. Nempe,
qui multo saepius, ob vitae suaे vici-
stitudines, pronus in laudes fuerat; qui
haud raro ad servile obsequium coactus,
imperatoribus ac principibus blandiendo,
omnia officiosae vitae fastidia persense-
rat, adeo ut ipse profiteretur candidissime (III, 4, 6: *ad Librum suum*) se ad
Forum Cornelii, in regione Aemilia,
sponte contulisse, quum minime posset
vanae taedia ferre togae, veri simile est
e rure, procul curis et molestiis, levem
somnum, sanitatem, mentis quietem
unice haurire posse. Qua in re quam
eius mores cum Horatio consentiant,
nemo est quin videat.

Mire enim in primis utriusque poetæ
desideria ac preces miscentur:

*Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus
Hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons.*

*Nil amplius oro
Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera
[faxis.*

(Sat. II, 6).

Ita dicit Horatius, quem nuper, praeter
suam spem, iam villa Maecenas dona-
vit: «*Auctius atque Di melius fecere*». Martialis, contra, facit vota ut Dii ipsi
quoque villulam largiantur, quae vero
non fuit negata, quamvis tamen, ob in-
genii inconstantiam, haud laute et variis
peregrinationibus adstrictus vixerit.
Ut Horatius loquitur de modo agri non
ita magno, de propriis muneribus, Martialis
quoque cupit esse sui nec magni
ruris arator; ut ille fugit aliena negotia
centum quae per caput et circa saliunt
latus et dulcissimis verbis fere rus al-
loquitur:

*O rus quando ego te aspiciam quandoque li-
Nunc veterum libris nunc somno et inertibus
[cebit
Ducere sollicitae iucunda oblia vita?*

(Ibid.).

Hic vero precatur:

*Non amet hanc vitam (seil. rusticam) quisquis
[me non amat, opto:
Vivat et urbanis albus in officiis.*

Dixeris ab Horatianis verbis, in quibus
mirae suavitatis nonnulla signa in-
sunt, felicitate inventionis distincta et
animi candore perfusa (non longe a vero
abesse arbitror, si illud affirmem, Ho-
ratium tamquam si nostris temporibus
vixerit, una nobiscum de ruris amoenitate
sentire), Martialem impulsu esse
ad rus celebrandum; nisi quod, hac in
causa, nulla esset eius sinceritas, quod
vix dicendum censeo.

At quid Martialis rusticans agit?
Rogatus quid faceret iuri (1), ita re-
spondit:

*Luce deos oro, famulos post arva reviso
Partitusque meis iustos indicō labores.
Inde lego, Phoebumque cito Musamque laccesso.*

(1) V. Epig. IV, 90. — *De rusticatione.*

*Hinc oleo corpusque frico mollique palaestra
Stringo libens, animo gaudens ac faenore liber,
Prandeo, poto, cano, ludo, lavo, ceno, quiesco.
Dum parvus lychnus modicum consumit olivi,*

(1)

Ecquid simplicius candidiusque dari
potest? O dulcem et invidendam poe-
tarum vitam, qui dum rure morantur,
Camenas rusticis operibus variant!

Haud aliter agebat Horatius qui,
omnibus ambagibus missis, eodem animi
candore, eadem simplicitate qua se to-
tum nobis aperit, vel sua ipsius vitia
et errores retegens, quid ruri faciat
ostendit:

*Ad quartam iaceo: post hanc vigor aut ego
[lecto
Aut scripto quod me tacitum iuvet, unguor
[olivo,
Non quo fraudatis inmundus Natta lucernis.
Ast ubi me fessum sol acrior ire lavatum
Admonuit, fugio campum lusumque trigonem.
Pransus non avida
domesticus otior
(Sat. I, 7).*

Ni fallor, videtur mihi ad verbum
Martialis Horatium expressisse. Vere,
hic Horatius urbanus est, sed fere idem
est modus et ratio vivendi, sive rure,
sive in urbe. Vide, sis, congruentiam et,
ut ita dicam, consensum verborum et
sententiarum:

*Mart. Quiesco; Horat. Domesticus
otior; Lego = lecto; oleo corpusque
frico = unguor olivo; lavo = ire lava-
tum; luso = lusum, etc. (2).*

(1) Ita lego hoc Epigramma, quamvis
sciam alios alter legere. Quod autem attinet
ad inscriptionem eius, dubium est, ut varia
libris addictio. Vide quae illuc referuntur in
Anthologia Lat., fasc. I, p. 98.

(2) Forsitan et alia quaedam in versibus
Martialis distinguas, quae nescio quid Ho-
ratianum sapient. «Faenore liber», e. g., =
Solutus omni faenore (Epod. II, v. 4).

Omnia et singula huiusmodi vivendi
generis uterque narrat; nisi quod Bil-
bilensis interdum aut solvit et diluit
Horatianam sententiam, aut paulisper
contrahit.

Quum hoc pervenerimus, uter poeta
magis amavit rus? Horatius; qui et in
carminibus passim et sermonibus et va-
riis Epistularum locis, magna cum vo-
luptate et commotione memorat; Martialis
vero breviter attingit.

Forsitan ita statuendum est: illum
penitus luci ac ruris et agrorum delicias
sentire; hunc autem nihil aliud rure
exposcere, nisi unde haberet quo posset
vitae urbanae incommoda comprimere.
Sed utcumque res est, quam melius
uterque L. Annaeo Seneca, qui in *Phae-
dra* volens rus celebrare, et rusticationis
blandimenta, amplissimo verborum gyro
et sententiarum circuitu id facit, tam-
quam qui itinere deerrans et huic illuc
praetentans viam pedibus, multis cum
flexibus magis atque magis decipitur,
omni spe effugii et salutis amissa! (3).

M. GALDI.

De fonte Divinae Comoediae Dantis Aligherii.

Omnes gentes, non in Italica regione
modo, sed in quavis etiam orbis remota
plaga, maximis in reddendis honoribus

(3) At neminem, qui vel parum habet
litterarum romanarum notitiae, latet quam
copiose et effuse Seneca in tragediis con-
scribindis rhetorice indulserit, quamque il-
iae, non actae in scaena sed potius in ami-
corum coetu recitatae, sententis philoso-
phorum imbutae, haud veri similes sint, non
convenientia cuique personarum reddant,
languorem quemdam affectuum sapient, ni-
mio amore ratiocinandi distinguantur.

illi poetae maximo qui super ceteros uti aquila volat (1), ultro contendunt.

Iam vero nulla quidem secundi ordinis schola est, nullum lyceum, nulla studiorum universitas, nulla academia, nulla denique doctorum societas, cuius litterarum Italicarum magnitudo et Dantis cultus intersit, qui coetibus consti- tuendis per quos ita sublimis meta contingi queat, non alacrem cupidamque operam praestare curet, praesertim quod haud iam longe absit tempus ab illa sexcentesima anniversaria die, qua summi poetae Dantis Aligherii solemnia rite peragentur (2).

Quapropter universae isti voci hanc parvam licet nostram quoque vocem adiungere nunc opportunum arbitramur, eo magis quod non parvi momenti sit funditus intueri et persequi fontem *sacri poematis, cui manum et caelum et terra posuerunt* (3).

Ast vero, de hoc argumento recens delatum nobis est opus, cuius in fronte speciosus quidem titulus (4), quod tamen tanti ponderis nobis visum est, ut idem late per orbem vulgari non modo optaremus, sed de eo verba facere instituemus, Dantis eiusdem auctoritate freti, quem in Epistola, quam omnes norunt, ad amicum suum Cangrande Della Scala missa, plures sensus quibus *poema sacrum* intelligendum habeatur, ostendat, scribens: « Quotiescumque litteram tantum respiciamus, hac significari animadvertisimus exitum filiorum Israel ab Aegypto; si allegoriam inspicimus, hac

expressam intuemur redemptionem nostram per Iesum Christum peractam; si *sensus moralis* observetur, in hoc cognoscimus animae conversionem a planctu et a miserie peccati ad gratiae statum; si demum *anagogicum* sensum perpendamus, hoc internoscimus transitum animae sanctae a presentis corruptio- nis servitute ad aeternae gloriae liber- tam».

Itaque, ipso theologo Dante docente, perdiscimus Vetus et Novum Testamentum sibi fundamen suppeditasse super quo Divinae Comediae aedificium adstrueret.

Quae res a Dante simul evincitur atque comprobatur in illo famoso eius opere *Il Convito*, dum hoc erudit, scripturas iis esse intelligendas sensibus, quos super attulimus. Verum enimvero hanc methodum ipse amplexatus est in suis philosophicis cantibus exponendis, qui mentis eius excelsitatem summopere patetfaciunt (5). Quin immo luculentum ipse perhibet exemplum in illo Purgatorii tristicho, quo expromit angelos una voce canentes illum psalmum: « In exitu Israel de Aegypto », cum iis quae in eodem psalmo scripta sunt (6).

Hisce positis, nos quasi veritatis studio atque legitima cupiditate permoti, libentius legere et perscrutari biblicum Numerorum librum maluimus, nec non mansiones a Petro Damiano expositas in opusculo quadragesimo secundo, *De Quadragesima, sive de quadraginta Hebreorum mansionibus*.

iisdem typis per compendium edidit sub hoc titolo: *Lo schema doctrinale della D. C. ad uso delle scuole e di coltura*. — Rovigo, 1913, in 8 p.

(5) Cfr. *Il Canzoniere*, annotato e illustrato da PIETRO FRATICELLI, etc. — Firenze, Barbera, 1871.
 (6) *Divina Commedia. Purg. II, 45-47.*

Iam vero, quoniam potissima argumen- tatio ratio nos huc ultro ducit, summi Doctoris verba ad amussim hic exscri- bere oportet, quibus mystica itineris in- terpretatio exhibetur.

« In egressione quippe — (ait P. Da- mianus) — filiorum Israel ex Aegypto quadraginta duae sunt mansiones, et adventus Domini Salvatoris in mundum per quadraginta duas nihilominus gene- rationes inducit quas videlicet evan- gelista Matthaeus enumerat dicens:

Ab Abraham usque ad David regem generationes quatuordecim, et a David usque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim; et a trans- migratione Babylonis usque ad Christum generationes quatuordecim (1).

« Ipso ergo numero Dominus in Ae- gypti huius mundi ima descendit quo populus Israel ad Terram Repromissio- nis ascendit. Descendit, inquam, ut iste ascenderet. Ille servitutis formam induit ut iste de servitutis ergastulo exiret (2). Et observanter Moyses posuit dicens: Ascenderunt filii Israel cum virtute sua. Quae est enim electorum virtus nisi Christus qui est virtus Dei? Qui ergo ascendit, cum ipso ascendit, qui ad nos descendit; ut illuc perveniat, unde non necessitate, sed dignatione descen- dit, ut illud verum sit quod dictum est, quia qui descendit ipse est qui et ascendit super caelos ut adimpleret omnia » (3).

Nos igitur ex collatione mansionum a Petro Damiano expositarum cum sin- gulis Divinae Comediae tristichis, illam invenimus congruentiam, quam Paulus Amaducci, clarus in Rhodigii provin-

cia studiorum provisor, detexit atque in suo laborioso opere consulte statuit.

Neque dumtaxat sufficeret inter man- siones a celebri Ecclesiae Doctore de- scriptas atque erudit detectoris com- mentarium.

Nam si Divina Comoedia christiana perfectionis poema dicendum est eius- que compago intellegi nequeat quam per *gradualem ascensem* symbolice ex- pressum, humani spiritus ab Aegypto, sive a peccati corruptione et ab erroris via ad campestria *Moab super Iericho*, nempe ad caelestem plenitudinem, sive Dei beatificam visionem, nonne absurdar- es foret Dantem christianum catholi- cumque poetam, pariter ac rigidissimum et Sacras Scripturas summopere edo- cillum, hac potissimum allegorica notione destitutum perpendere? Absit omnino.

Quodnam, contra, luculentius argu- mentum pro Divinae Comoediae tristi- chorum cum P. Damiani mansionibus collatione explananda, inveniri quiret quam quod poeta in Purgatorio praebet? Ipse enim de se poenitente et resipi- scente loquens, refert septem litteras *P*, quas angelus, gladii mucrone, sibi super fronte describit, quasque beatitudinum angeli gradatim delent, quasi peccato- rum reliquias, quas paullatim Dantes eluit (4).

Ceterum, si miris atque innumeris for- mae venustatibus, quas poema sacrum induit, exuas, manet utique doctrinale schema, cuius theologica visio primigenia forma fuit, tamquam eiusdem directus fons.

Diversimode quam in Iliade Homerus, in Aeneide Vergilius, Dantes est quasi

(4) Vide: AMADUCCI, op. cit. Vol. 2, pa- gina 169 et seqq. — *Mans. P. Dam.*, XIV (*Aserot*). — *Divina Comm. Purg.*, Canto I et XXII, 121 et seqq.

iugis poematis heros, seseque tempestatis suae exagitatis vicibus intermiscens in suo spirituali itinere, symbolica vestigia ingreditur, quae P. Damianus impresserat ex *Numerorum* libro (1), quaeque P. Amaduccius detexit atque instituit, illas in medium afferens congruentias, quas singillatim memorat atque tradit, quibusque magis magisque manifestum fit quanta sapientia sublime, inexsuperatum Divinae Comoediae aedificium Dantes condiderit.

ANTONIUS Adv. MARTINI.

ASTRONOMICAE NOTAE

Parisiensis nuperrimae procellae causa —
Solares maculae — Novine planetae ultra Neptunum?

Priusquam de astris proprie loquamur, nonnulla quae aëriam doctrinam (*meteorologiam* vulgo hodie vocant) iuxtim attingunt, pro re nata dicemus. Magno enim cum stupore adnotarunt omnes immensam illam pluviam, unde Parisiorum urbs die xv labentis huius mensis Iunii multa cum rerum et ipsorum hominum iactura bis invasa est. Undenam ea? Atque eo magis quod barometrica depressio haud satis magni momenti (761-755) illo die videretur. Attamen animadvertenda est eiusdem depressionis natura; *cyclonica* nimirum, (hoc est maiore compressu clausa), per quam venti undequaque confluentes in illis locis nubes Germanici maris, Britanici freti ipsiusque maris Cantabrigi colegerunt; frigidi autem venti ex Anglia venientes rapidam aquei vaporis condensationem procurarunt, indeque eluviales praecipitationes.

(1) Cap. xxxiii, 1-48.

* *

Praeter brevem hanc, dilucidam vero, rei descriptionem, adducat qui velit influxum solarium macularum, quae reapse multiplices in luminum principis extrema ora, ad orientem, die ix Iunii apparuerunt; per centrale meridianum die xv ac XVI praetergressae sunt; ab occidentali extremitate discesserunt die XXIII; quae denique, posita nodi vastitate, ad diem VII Iulii mensis probabiliter iterum prodibunt.

Ex actis de macularum hoc nodo positionibus, — vero quidem archipelago, cuius maxima insula, ut ita dicam, ceteris in itinere praecedit, — deducere licuit per 87.000 Km. ipsum extendi, quod est septies longitudinem terrestris diametri aequare.

Huiusmodi solaris vis augmentum, cum aëriis perturbationibus fortasse coniungi potest, in omni fere Europa aestivos ardores remorantibus; suntque etiam astronomicae doctrinae periti, inter quos Krebsius, qui meteorologicas praevisiones trahunt ex statu hoc maculari solaris photosphaerae, putantque conexum quoddam inter solares maculas et cyclonum compositionem in illa oceanii Pacifici occidentalis tempestatum officina intercedere. Quin imo Krebsius, fultus activorum solis meridianorum ratione a se posita, affirmare non dubitat fore ut prope finem venturi mensis Augusti atrae aliae procellae debacentur, ob easque visum solaris defectionis, quae fiet, uti constat, illius mensis die XXI, iri impeditum.

* *

Meministisne *Iani* illius planetae, ultra Neptunum inquisiti, quem falso quondam repertum esse nunciarunt? Quamquam solaris systematis fines adhuc per Neptunum constituantur, perturbations tamen, quas et Uranus et Neptu-

nus ipse patiuntur, non aliter endari queunt, nisi per hypotesim existentiae alterius, imo duorum planetarum ultra Neptunum; quin etiam de elementis duorum horum perturbantium astrorum et Danensis doctor Lau et Gaillot francoallicus prope convenient.

Lau sententia est, ipsorum astrorum alterum — cuius inventio magnis aequalibus photographicis reservatur — quadragies sexiesque cum dimidio longius quam Terram a Sole distare; eius massam triginta atque sex milies Solis massa minorem esse; denique sedem suam habere circiter ad 285° longitudinis heliocentricae. Planetam alterum 71,8 radios a terrestri orbita abesse; immensam eius massam $\frac{7}{1000}$ partem

Solis assequi; eius locum esse ad 156° heliocentricae longitudinis; Gaillot quamvis non ultra 115° collocet.

Quam longe ab eo tempore excessimus, quando Saturni orbita fastigium sidereo mundo imponebat!

Pridie Kal. Iulias MCMIV.

SPECTATOR.

HORAE SUBSECIVAE

OBTURACULUM SUBERUM.

Ἐπιμόθον: Attende ne seductus in stultitiam humilioris
(Eccl., XIII, 10).

Lacrymas o! quas nascens profundisti
[unicas,
Da mihi, Democrite,
Et fata promam suberi,
Oestro novo correptus, obturaculi.
Lubrica sors agitat
Et vile censem frustulum
Decies Eoo recreatum lumine
Corticis in gremio
Pinguis, ferendum nundinis

Quem culter acri exenteravit cuspite.
Risit amabiliter

Pubi cometes mundulae
Caeli per axem crinibus longe micans!
Non etenim soleis

Fomes caloris, addita est
Pupae levamen delicatis plantulis;
Gurgite nec pelagi

In retium inserta institas,
Ut plumbeo subtenta flexu piscibus
Desuper obiceret.

Sed elegans cylindrica
Suber figura vividumque prodiit,
Sollicitum nitidae

Concedier lagunculae,
Cuius labello et intimis praecordis
Hem! mihi suavem animam
Opifex Lyaeus indidit.

Laeto obstupescet nectare audax fru-
[stulum!]

Te sive ager Toheus
Et prela Turdetaniae,
Sive plena guttatum per ignis flammulas
Te cucumella mero

Stillans Falerno fuderit;
Haud haesito, latex Deorum, perpetim
Esse animae vigilans
Custos et obturaculum.

Quid si dolores conicus membris tubus
Afferat, ante mea
Quam servitute gaudeam?

Quid?... per latebras, perque montium
[ardua,
Hispida nunc glacie,
Nunc solis usta aculeis

Vatum caterva cursitavit, carceris
Antra, famem, exilium,
Sitim, situmque squalidum

Perferre consueta, ora tandem virginis
Versibus ut podio
Diu reclinis tolleret

Carae loqueliis atque amore perfruens.
Suber ait: datus est

Pro ardore cantor pectoris
Faustae liquore spumeo lagunculae,
Gallica quem ex sapidis

Uvis trahit Campania.
Et comprimi, et strictim ligari ad invicem
Cannabinis manicis,
Quin ferreis vinclis tulit

*Cedens amori suber: utrique praemium
Bullula cum titulis,
Trabeae instar arte stannea
Textum affabre, nitensque ad armos
[pallium.
Terque quaterque deūm
O par beatum poculo!...
Sed dura venit hora: mensam prodigam
Et paterae, et patinae,
Lychni, rosaeque insigniunt:
Matrona ceu superba stat laguncula,
Vita, decus, pretium,
Coronis et convivii;
Mensaeque frustrum adest triumphis
[suberum,
Cum aëre dum cerebra
Densantur, et ciboria,
Stridorque dentium atque rumor gentium.
Iam male fata premunt,
Vicesque flectunt invida!
Lacrymas o! quas nascens profundisti
[unicas,
Da mihi, Democrite...
Digitus rapax lagunculae
Insigne scindit pallium ferociter,
Nobile stemma pedes
Nefas! protervi conterunt;
Volsella dentibus resolvit heu! iugum,
Quo pia corda duo
Unum trahebant spiritum.
Fit combibonum clamor: ac emittitur
Vel laquear fieriens
Caeco impetu obturaculum!
Praecepis cadit: sub angulis ceu soricis
Recula seminecis
Est ludibundis felibus.
Sodes, decorum suber an teruntii
Pendere Dis licitum?
Cortex egentium casas
Patrius verendus induit fuligine,
Vel scobis in cumulo
Servat recentes fructulos
Dulces, pruinæ cum pigrantes urserint.
Ast ego ludibrium
Fati!... Ustulatum taedula,
Factum novelli penicillum Thespidis,
Temnere me laruae
Mystax theatris gestiet!*

THOMAS VIGNAS, S. P.

Ingenuarum artium specimina

« PARCAE » A BONARROTI EFFICTAE.

Qui « Universale Iudicium » terrible, Romae, in Xystino sacello, mira cum veritate summaque pictoria vi expressit, argumentum non minore meditatione dignum, quasi ad illud inducens, Florentiae tractavit. Parearum dicimus, fatalium scilicet illarum trium dearum, quibus poëtae hominum vitam commissam effingebant.

Demogorgonis filiae, aut, secundum Ciceronem, Erebi et Noctis, sorores inexorabiles esse eae tradebantur, nullisque precibus moveri, ut quam impossuerint rebus seriem commutarent, sive exitum vitae prorogarent, quem nascenti cuique constituerint. Ita enim eorum officia distinguebantur: una quae vitam hominis ordiretur, alia quae contexeret, tertia quae filum rumperet. Primae nomen, uti notum est, apud Graecos Clotho, apud Romanos Nona: eam Statius « ferream » vocat, « grandaevam » Seneca, atque, inter recentiores, « improbam et sedulam » Pontanus. Secunda, Lachesis a Graecis, Decima a Romanis dicta, « duram » Ovidius appellavit, « invidam » Martialis, « ferream », contra, Claudianus. Tertia denique Atropos, hoc est « immutabilis », aut Morta, quasi « partem notans » nuncupata fuit.

Parcae in colu fata ferebant, fusis et staminibus nentes ac deducentes; iuxta que hanc imaginem Bonarrotius eas reddidit, annorum graves atque ita squalidas, ut qui eas intueatur facere non possit quin consideret quam vilis caducae nostra vita sit, huiusmodi custodibus commendata, quantique intersit eam, praeter hunc mundum, ad sempiternam illam et vere gloriosam dirigere. Sic antiquorum fabula cum christiana sapientia hac etiam vice per scientissimi artificis opus felici nexu coniungitur.



BONARROTI TABULA « Parcas », REFERENS.

**De quodam saeculi vito
quod homines maxime torquet.**

Homines saeculi nostri in communis mercibus eisdemque acquirendis toti sunt, atque in hoc ad apicem pervenisse videntur. Quot ingeniorum inventa! Quot artes florescunt, quotque negotia acriora fiunt et sumptus in dies crescent! Hoc unum esset optandum, ut singula quaeque ad communem utilitatem verterent, atque ad verum omnium commodum fluerent. Nostris autem mercatoribus haec summa votorum, haec unica quaestio: Pecunia! Quod olim Horatius in Romanos sui temporis invexit, maxime est nostra aetate repetendum: *O cives, cives, quaerenda pecunia pri-
mum est; Virtus post nummos!*

Haec pro re nata in mentem venerunt, quum primum obvius mihi fuit liberulus nuper a sarcinatore quodam editus, quo frequentiores ad officinam suam homines alliceret. Ipse miris ac sesquipedalibus verbis rem praedicat, et recentibus artium inventis usus, insanam vestium effigiem atque innumeram portendit. Quis enim hanc putidam atque fastidiosam rerum personarumque congeriem tolerare possit? Nihil sane, mea quidem sententia, tam dishonestum, tam deforme, tamque aspectu foedum viderunt praeterita tempora; nec quisquam cogitare potest nisi gravi febri laboret. Namque quo facilius emptores advocet, et quasi retineat, sunt hic multae foeminae effigies, si non optime descriptae, graphicè tamen et vario ac dissimili aspetto. Haec in capite pileum gerit, quem galerum potius dixeris, quo olim actores in theatris utebantur; illa vero petasum, cuius ambitus ita sunt largi atque insigniter diffusi, ut non modo a solis radiis te incoludem reddat, sed ab ipsis imbris procellisque, et saepe saepius ipsas aedium fores introgredi prohibe-

beantur. Haec novissima denique, ceteris omnibus posthabitatis spretisque, *pileolo* laetatur, quem olim in beatiorum aedibus perradiculi illi securae gerere consueverunt, quum eorum mensam versibus extemporalibus atque oris maxime vultusque immodice illecebris hilarabant. Desunt equidem modo tintinnabuli floccique!

Hanc puellam, quae tali se habitu ornatam praebet, nobilem adpelles atque ingenuam? In hanc vel ipsi « Romani tollent equites peditesque cachinnos! »

Vah! apage a nobis huiusmodi genus vestiendi indecorum, dishonestum, quod omnem prorsus pulchritudinis sensum deturpat!

Verum unde nostri infandum hunc morem retulerunt?

Rem dicam incredibilem, sed veram. Nos Itali, quibus, divini Numinis beneficio, natura datum est, animo pulcrum gustare eoque castissime frui, advenarum pedisse qui et servi **morem nunc** persequimur; qui Berolino profectus, nunc qui Lutetiis Parisiorum, nunc ab ipsis remotissimis barbarisque Sinis atque Indiis, universam prope terram per vadit. Sic saltem fautoribus suis gloriose praedicat idem sarcinator, liberculi editor. Proh! pudor. Utinam in corruptissima civitate Iuvenalis meus **insurgeret**, qui Horati urbanitate et facetiis oblegatis, rigidi censoris personam sustinens, satiris in vitia aetatis indignabundus inveheretur.

Haud me latet vel ab ultimis annis saeculi septingentesimi supra millesimum, Iosephum Parinium, argutissimum sane virum, qui negotiis remotus, mores perditissimorum civium acerrime insectatus, meruitque adpellari « *Virtutis verae custos rigidusque satelles* », pravam quamdam nobilium praesertim consuetudinem carmine suo perstrinxisse, quae ipsi perpetua mentis mobi-

litate distracti, recentiora semper inquirentes, vestimenta mutare in dies consuerant. Erant enim « nebulones, Arctinoque, In cute curanda plus aequo operata inventus »; hic vero res tota est de mulieribus.

Si de capitibus caesarie loqui velim, haud verba mihi deerunt, nec equidem verbera. Passim in reverentiae signum et maiestatis in patriciorum aedibus aula augusta stat, in qua atavorum insignium effigies per ordinem asservantur. Qui decor inest matronarum praesertim vultui! Haec scita et venusta picta adest genitricis imago! Coma spissa est circum vultum deducta et calamistro summo magisterio inusta, quae decorum ori addit atque obsequium, eique passim torulus quoque aureus inest. Adhuc loci dominam sentis decorisque magistrum! De recentioribus vero quid dicam? Nil turpius, nil inverecundius invenire potes. Ab ipsa prima fronte animorum levitatem morumque licentiam optime notabis. Hinc puellarum procacitas, quae rarius vel in ipsis tabulis ab antiquitate nobis traditis difficile invenitur. Hinc facilis peccandi stimulus, hinc veluti alveis perruptis pravitatis flumina in cives proripiunt!

Haec tristis dico atque indignabundus, nec matres plerumque Deo adhuc devotae scelerisque purae ad castitatem filias deducere conantur, sed castis religionis praecepsis fastidiose relictis, ipsae sunt puellis immodestiae passim magistrae. Quid forte accidet brevi? Posteri videbunt, et nostra tempora indigne ferentes ac contemnentes, haec procul dubio in nos effutient:

Filiolam turpi vetulae producere turpem!

Maiora vero nos manent; quae tamen, ne longius hodie rem trahamus, ad proximum mensem differimus.

I. B. FRANCESIA.

COMMUNIA VITÆ

FRIDIANUS

SIVE

DE INCONDITO ADULESCENTE (1).

FRID. (*servum obiurgans*). — Heus tu, comprime tibi manus; cave ne quidquam tetigeris!... Hae nugae; alia curanda!

STA. — Non quidquam sumpsi, nec tetigi.

CAL. — Chirothecasne mihi emere meministi?

FRID. — Memini omnia ego.

CAL. — Ubi igitur eae sunt?

FRID. — In thorace certe, quem deponui.

CAL. (*thoracis sinus scrutatus*). — Neutiquam hic.

FRID. — Melius explora; emi enim nuper ab institore, qui coram hac ipsa domo merces suas vendit.

CAL. — Fortasse in pectoralis crumenas immisisti. (*Inspicit, extrahitque foliorum globulum*). Quid istud? (*Resolvit, ac videt nummarias esse chartulas*). Vae! Nummi!...

FRID. — Nummos dixisti? Non possum adduci ut putem nummorum aliquid illic custodiri; omnes enim consumpsi.

CAL. — Sed tamen sunt; neque ex se, puto, ipsi in crumenam tuam abierunt... Agedum, reperito chirothecas.

FRID. (*manu contingit femoralia, sentitque aliquid prope funda prominere*). — Placide, mi pater, placide. Ellas chirothecas: in femoralibus servabam. (*Immittit manum in funda, eaque vacua revoluti*). Aedopol! Decipula ne sunt in femoralibus meis? (*Veluti subita luce in mente ictus*). Hem! (*Inquirens inter femoralia et subligare, inde educit involucrum*). Accipe... Secretiora occupaverant.

(1) Cfr. num. sup.

CAL. — Observemus. (*Involucrum expandit ludicrumque pupulum invenit*). Istaene chirothecae?

FRID. (*stupens et ipse, pupulum contemplatus*). — Oë, pater, magicam tu artem geris?

CAL. (*severus*). — Nimia, nimium! Vix teneor quin quae decent te dicam!

FRID. — Aio me chirothecas emisse, ac prorsus ignorare unde simiolus iste manaverit. Fuerit ne error malae illius bestiae institoris?... Hercle fuit!... At ad impuratum illum statim revertar, eumque pro meritis rependam. Exedor enim ira atque exenteror... (*Furens petasum thoracemque properantius induit, neque in huius manicas inversas animadvertis*).

CAL. — Mane, mane, audi!...

STA. — Thorax enim, domine mi...

FRID. (*preceps abit clamans*). — Vae tibi, carnufex! Docebo ego te quomodo tractandi sint adventores!

CAL. (*filium sequitur usque ad fores, dicens*). — Resiste, fili, audi me... Vide, sis, quam rem tu geras... Vide quo te tu inducas!... Fridiane!... (*A foribus ad fenestram transit*). Heus tu, Fridiane!... Ingressus est institoris tabernam... Emit litigium... gesticulatur, superinstrepit. Stultior stulto videtur. Hinc me amoveam; conspectus enim ejus me arctat. (*A fenestra recedit*). Putasne tu, puer, ex institoris incuria erorem factum esse?

STA. — Immo vero — pace tua dicam — heruli mei!...

CAL. — Ille quidem mira indiligentia est affectus; huccine tamen ut chirothecas cum ludicro pupulo commutet?.. Verum est, numeros hodie apud ipsum non convenire, inter sacrum et saxum ab hoc festo positum!... (*Arrectis auribus adstat*) At iam redit. St, tace; quidquid est dicturus, omne, quod ipsi aegre sit, sinamus libere evomat: hinc unice sperandum pelagus quiescere.

(*Redit quidem Fridianus, turbato vultu et vociferans: Baro! Stipes! Furcifer!*
— *Manu gestit albas chirothecas, quas ad pedes Calogeri iacit, inquiens: En tuas chirothecas!*)

I. F.

(*Ad proximum numerum*).

ANNALES

Veluti fulminis ictus, necopinatum, horribile nuncium, die xxviii elapsi mensis Iunii, universum orbem pervasit. **Franciscus Ferdinandus, Magnus Austriae Dux, regni haeres, eiusque uxor, Sophia Chotech, Ducissa de Hohenberg, Sarajevo, in Bosniaca urbe, nefarie interempti sunt!** In novum hoc infandum scelus debita execratio; luctus ob improvisum indignumque obitum sapientis, probi pii que Principis; misericordia erga infantes tres barbare, inhumane, parentibus suis orbatos, verbis facile haud exprimi possunt. Quisnam enim honestus vir ubique gentium reprehendat satis abominanda huiusmodi, probrumque ac flagitium hominum generi, decori, humanitati imposita?

Quodsi infandi facinoris causam repetere volumus, non aliunde nobis videtur deducenda quam ex furore hydrae illius panslavisticae, informe caput iam diu attollentis, saevique operis sui indubia signa significantis: ipsa incendiarias pilas, ipsa manuballistulam incautis fanaticisque iuvenibus, sub specie oppressae civitatis ulciscendae, tradidit. Non enim affirmare dubitamus, hodierum crimen tristem esse conclusionem eventuum, qui ab adnexione Bosniacae provinciae ad recens actum Balkanicum bellum, quo Serborum regnum amplifi-

catum est, processere. Serborum scilicet odium in Austriam aegre repressum, a panslavismi indefessa opera altum et vivificatum, exarsit tandem, victimam aerae destinans Habsburgorum aemulorum virum sibi maxime metuendum.

Faxit Deus ut crucis triumphi, quorum splendores novissime in Europae Orientalis illis regionibus coruscarunt, invidiam, tantorum malorum fontem, cum fraterna caritate commutent!

* *

In Albania quoque lugubres horae per transeunt. Etenim inter seditiosos Mahumeti asseclas, et catholicos incolas, Principis defensores, civile bellum item ac religiosum ortum est; ex quo clare patuit delectum acatholici Principis ad vitandas diffidentias vel competitiones inter duas Albanorum fidei rationes, inutili prorsus evasisse.

Ceterum, ab Europae civitatibus Albaniae principatus tutricibus, navium missione Dyrrachium liberata, rebelles putabantur urbem caput aggressuri nunquam; ipsi contra, fortasse fama adducti fore ut brevi auxilia a Mirditis Malissoriisque ad Principem adducerentur, ex improviso impetum fecere; quo in proelio munitionum defensor, Thompson, Batavus chiliarca, occubuit. Oppugnatio, per duos acta dies, incassum cessit; quae res stultum consilium contulit movendi ad nocendum cum copiis plane huic negotio imparibus; quas hostes ad Syak oppidum facile profigarunt.

Tunc ad urbis propugnacula redditum est, maiore quidem prudentia ac fortuna; siquidem de pace agenda rursus agitantur rumores; quamquam si in huiusmodi condicionibus de Gulielmo principe sua dignitate spoliando insistitur, a concordi Europaearum civitate regno aucto, haud videmus profecto quomodo nodus resolvi queat.

* *

Apud Italos nos insaniae turbo primis Iunii mensis diebus saeviit ex anarchistarum factione; quae tamen infelix consilium suum stultissimum brevi fecit. Namque Anconae in urbe seditione ex consulto submota, ab eiusque per vim repressione capta occasione desidias per Italiam omnem indicendi; quum inde tunicati populi pessimae cupiditates ad arma et bonorum civium direptiones facile venerint, non gubernii modo, sed omnis populi reactio ea facta est, quae ad resipiscentiam furentes ceegerit... praeter publici coetus nonnullos oratores, qui per « obstructionismum » (sic enim, novo inducto verbo, dicunt) feredis legibus unguibus et rostris obstant.

* *

At ad Asiae minoris loca nos convertamus, ubi vix factum est ne novum ipsumque cruentum disserimen exsurgere. Graecos inter atque Turcas, persecutionis in Graecos incolas palam accusatos. Vicit tamen Turcarum prudens item atque castigata agendi ratio: non solum enim civilium rerum administer ipse eo se contulit ubi iniusta commissa fuerant, severaque accensos, qui culpa aut negligentia tenerentur, puniit, sed etiam extera gubernia, apud quae Graecia provocaverat, invitavit, ut legatos mitterent, qui suis oculis viderent, de noxis localibus omnino, ac praeter civiles rationes tantum agi.

* *

Administratorum collegia immutata sunt in Gallia et in Serbia; quin imo hic Petrus rex, valetudinis causa, procuratorem regni filium natu maximum pro tempore constituit.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Spatii angustiae hodie nos coegerunt ad alium numerum responsiones differre, quas circa proposita a nobis **Quae sita ad referendum** socii alii miserunt; non tamen ego facere possum quin peculiarem significationem faciam cuiusdam rationis, qua fortasse quaesitum III, opere, nec eo quidem inutili, solvatur. Eamdem mihi suppeditavit parvum illud H. M. IACOBELLI volumen, quod in superiori numero nunciamvimus inter libros dono acceptos, atque inscriptum: *In campo latinitatis novi flores.* Quonam autem in campo auctor hosce flores decerpit? Omnino fere ex uno, illius nimirum «*Vocis Urbis*» commentarii, qui post sexdecim vitae annos, exeunte anno MCMXIII cum multorum moerore publicari desiit. Ab incunabulis eius socius, Iacobellius vocabula, dictiones, phrases, quae praesertim hodiernam vitam comunemque nunc usum respicerent, assidue diligenterque collegit, alphabetico ordine disposuit, nepotulisque suis omnibusque latitudinem diligentibus obtulit. Non est hic locus criticen libelli instituere; ille opportuno tempore faciet, cui hoc munus fuerit demandatum; id unum mihi erat propositum, rem designare, atque *Almae Romae* hortari socios ut idem ex nostris paginis faciant. Quis dubitat quin opus ex seipso confectum utilius cuique evasurum? Ceterum quum socios atque lectores per orbem universum dispersos nos habeamus, si ipsi nos huiusmodi vocabularium componamus, ad rem acu attingendam oporteat interpretationem praecipuis saltem totius orbis sermonibus addere; quod opus, vel Mezzofante, celeberrimi viri illius multorum sermonum, humeri ferre recusarent. Nihil autem impediverit quominus ex collectis hic illuc fasciculis, unus demum

conficiatur, siccis floribus, papaveribus et... spinis quae forte irrepserint, opportune repudiatis. Quid vobis videtur?

**

Interim, ex mea parte tellurem ingenero, imo volentibus semina liberaliter praebeo; in **argumento** illo **cibario** insitens, quod pergratum plerisque fuisse scio. Isidorus ille Hispalensis hodie me comitatur, qui etyma vocum et origines, interdumque etiam verbi vim mihi suggerit, quorum igitur honorem et... periculum ipse in se recipiat.

Atqui in primis ille monet *epulas* ab opulentia rerum dictas; easque *simplices* in duo necessaria dividi, panem et venum, et in duo superflua, quae terra et mari vescendi causa exquiruntur. Epulae a *dapibus* distinguuntur, quippe quae hae regum sint, epulae autem privatorum: *deliciae* nuncupantur, «quod iis delectentur homines easque suaviter appetant». *Satietas* pariter et *saturitas* — sive epularum, sive dapium effectus — inter se differunt; nam satietas ex uno cibo dici potest pro eo quod satis sit; saturitas a «*saturo*» nomen accipit, quod est vario alimentorum apparatu compositum.

At vero *crapulam* fugite: crapula enim est immoderata voracitas «quasi cruda epula»; cuius cruditate gravatur cor, et stomachus indigestus efficitur. Immoderata enim voracitas vitium constituit; idque tantum salutis est, quantum sustentationi naturaeque sufficiat.

Primus cibus quo ieunium solvit *ientaculum* nuncupatur: *prandium* «ab apparatu edendi dictum est: proprio autem veteres prandium vocabant omnium militum cibum ante pugnam; unde est illud ducis alloquium: Prandeamus tamquam ad inferos coenaturi». *Merenda* est cibus, qui declinante die sumitur, «quasi post meridiem edenda» et pro-

xima coenae; unde et *antecoenium* a quibusdam dicitur. *Coena* denique, uti generatim admittitur, a communione vescientium vocatur (*κοινών* quippe Graeci commune dicunt); unde et *communicantes*, quod communiter, id est, pariter convenient. «Apud veteres enim — comes meus animadvertis, quem supra memoravi, — solitum erat in propatulo vesci et communiter epulari.... Est autem coena vespertinus cibus, quam *vespertinam* antiqui dicebant (1); in usu enim non erant prandia». At bona, pace Mentoris mei, si prandium in more omnium positum non erat, multi enim, ut hodieque non pauci, semel die tantum vescebantur; quibus tamen usque ad coenae tempus integrum famen perducere difficile erat, levem simplicemque cibum ad meridiem — prandium (2) — semper sumebant: opifices et laboriosi, quanto sat esset tolerando labore; intemperantes vero... quod gulae plus minusve largiter inserviret. Valeat ad rem Celsi auctoritas (I, 3 ad fin.) et Senecae (Ep. 83): «Sic prandet aliquis, utilius est exiguum aliiquid, et ipsum siccum sine carne, sine potionе sumere... Aestate cibo saepius corpus eget; ideo prandere quoque commodum est». — «Panis deinde siccus, et sine mensa prandium». Martialis item (XIII; 30):

*Caseus Etruscae signatus imagine Lunae
Praestabit pueris prandia mille tuis.*

Posita sic ciborum sumptionis natura ac proprietate, ut pro tempore nostro concludamus, ita nos puto eam hodie dispertire et appellare posse: *ientaculum*, *prandium*, *merendam*, *coenam*.

**

Ceterum, qualibet hora et ubique eam comparaveris, sit, ominor, amice lector,

(1) Festus: *vespertnam*.

(2) Nonne magis huic verbo convenit etymon: παρὰ τὸ πρώτῳ pro πρωτί, h. e. «mane»?

mensa tua validi cibi plena, non fumi; quamquam **fumus** nostris diebus tam **utilis** quoque fit ut non ridicule quidem, sed graviter sententia illa, quae in proverbium transit: «Fumum vendere», accipi debeat. Ignoras ne in Belgica modum inventum esse collocandi ad lucrum fumum, sive in officinis, sive in privatiorum domibus genitum? Ventilabrum eum impellit in colum pumicosis substantiis repletum, super quas assidue fluit petroleum, aut simile aliquod liquidum combustibile. Ita fumus, cum fastidii supellectili sua, discedit, dum colum ferventissimum item atque efficacissimum gasium elaborat, et domestico et industriae usui valde utile. Quin imo substantia ipsa, quae ad percolandum adhibita est, ea redditur, quae opportunely comburi queat. Fumum igitur reapere vendere nunc possumus.

Iocosa.

In procoetone servi duo loquuntur.

— Curnam Croesus ille quotiens pro hero nostro salutatoriam tesseram relinquit, in huius angulo plicaturam exigit, asininae auris probe similem?

— O servum ignorantissimum! Facit, ut herus videat illum ipsum coram attulisse!

Aenigmata.

I.

(vulgo *Rebus*)

Ha Eng Rui Bs A

II.

Problema arithmeticum.

Demonstra mihi quomodo ex novem supra decem, dempto uno, sint viginti; non quidem, ut vulgo asseritur, decem et octo.

(Aenigmata in superiore fasciculo II proposita his respondent: 1) *Anteire*. — 2) *Calamus*.

Iosfor.

Librorum recensio.

Sac. Dott. UBALDO MANNUCCI — *Istituzioni di Patrologia ad uso delle scuole teologiche*. Parte I — Epoca Antenica — Romae, typis polyglottis Vaticanis, 1914; deposit. apud libr. Friderici Pustet.

Paucis contractas paginis institutiones patrologicas ita exhibere, ut eruditio apparatus nitorem expositionis non offuscat atque tamen tyronibus vastus maturiori studio aperiatur campus, en opus non levis sane negotii, quem auctor explendum suscepit.

Prima pars, quam prae manibus volvimus, optimam spem de reliquis nutrire sinit. Clarissimus D. Ubaldus Mannucci in extera, ut aiunt, «litteratura» abunde versatus, et, quod summi pretii est, criterio catholico omnino praeditus, in hoc volumine 175 paginas complectens, primam patrologiae aetatem erudit, sobrie, solide tractat.

Praemissis rationibus de indele et obiecto patrologiae, de valore et auctoritate Patrum, de patrologistico criterio, de confinibus et partitione patrologiae, de subsidiis ex historia et bibliographia desumendis, Mannuccius exorditur a Patribus apostolicis, in quorum scripta tyrones magistrali gressu inducit; synthetico ea conspectu in fine complexus.

Accedit iam tractatio de apologistis, cui altera subsequitur de scriptoribus, qui primas exortas haereses, iudaizantium, gnosticorum et montanistarum, impugnare. Qua in parte debitus honor tribuitur Irenaeo, praeclaro traditionis illustratori ac vindici. Et ita clauditur prior huius aevi periodus. Altera a fine saeculi II ad Nicaenam synodus pertingit, quorum scriptores ab auctore distribuuntur in Occidentales et Orientales. Magna hic occurunt nomina, imprimis Tertulliani, Cypriani, et Origenis, quorum doctrinam theologicam in singulis libris aut controversiis aequa lance perpendere, subtilis sane consilii est. At methodus quam Mannucci passim servat, dictamini toti operi praemisso fideliter respondet: «Sapere ad sobrietatem».

Dum eruditus Scriptori de felici exitu huius primi voluminis gratulamur, votaque cor data deponimus ut nobile consilium ad

optatum finem brevi perducere valeat, unum candidate desideramus.

Equivid tale opus erudiendo clero destinatum, Romae, in urbe catholici orbis capite editum, non latino potius sermone conscripsit?

L. JANSSENS, O. S. B.

Libri dono accepti.

Rus - Urbs. Carmen PETRI ROSATI Inter amnatis, in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum. — Amstelodami, apud Io. Mullerum, MCMXIV.

THOMAS VIGNAS S. P. *Elementa artis metrice latinae*. — Florentiae, ex off. Dominicana. (Ven. in Italia lib. 3; extra Italiam lib. 4).

IOANNES BELLISSIMA, professor litterarum latinarum et graecarum in lyceo senensi. *Frustula solutae orationis latinae*. — Senae Iuliae, ex off. L. Lazzerii.

Id. *Corpusculum inscriptionum latinarum*. — Senis edid. Iuntinus et Bentivolus. (Ven. lib. 1).

Id. *Il ponte romano ad Albitum Ingaunum*. Memoria archeologica con due incisioni. — Ibidem. (Ven. lib. 1,50).

Id. *Riordinamento del Museo Numismatico della R. Accademia dei Fisiocritici in Siena*. Relazione. — Senis, ex off. S. Bernardini.

Ad Pontifices, seu iugis Pontificatus historia. Sequentia ad quattuor voces inaequales in coetibus religiosis aliisque occasionibus canenda, a BENEDICTO PALADINO sacerdote doctore omni bono exarata anno MCMXIII. — Campo Ligure, typis Iosephi Fiorito.

E. SIENKIEWICZ. *Quo Vadis?* Romanzo storico. Nuova traduzione ad uso della gioventù e delle famiglie del prof. Enrico Salvadori con introduzione storico-archeologica del prof. Orazio Marucchi e con una pianta topografica di Roma dei tempi di Nerone. — Sesta edizione riveduta e corretta. — Romae edid. Desclée et Soc. (Ven. lib. 2).

ROMA SACRA**Acta Pii X P. M.**

Die XXIX elapsi mens. Iunii litteras pro Italia insulisque adiacentibus Pius PP. X motu proprio dedit de philosophicis theologicisque studiis. In quibus, revocatis litteris d. I mens. Septembris MCMX ad omnes Episcopos summosque Religiosorum Ordinum Magistros, quibus cura rite instituenda sacrae iuuentutis incumbet, per quas praecipitur «ut philosophia scholastica studiorum sanctorum fundamentum ponatur», declarat imprimis Summus Pontifex multum non nullos animum fefellisse, qui, quem illo loco a Se dictum esse praecipue Aquinatis sequendam philosophiam, non unice, sibi persuaserunt, Pontificiae sese non refragari voluntati, si quae unus aliquis e Doctoribus scholasticis in philosophia tradidisset, quamvis principiis S. Thomae repugnantia, illa haberent promiscua ad sequendum. Verum ait Pontifex «planum est, quum praecipuum nostris scholasticae philosophiae ducem daremus Thomam, Nos de eius principiis maxime hoc intelligi voluisse quibus, tamquam fundamentis, ipsa nititur. Ut enim illa reiencia est quorundam veterum opinio, nihil interesse ad Fidei veritatem quid quisque de rebus creatis sentiat, dummodo de Deo recte sentiatur, siquidem error de natura rerum falsam Dei cognitionem parit; ita sancte in violanteque servanda sunt posita ab Aquinate principia philosophiae, quibus et talis rerum creatarum scientia comparatur quae cum Fide aptissime congruat (1); et omnes omnium aetatum errores refutantur; et certo dignosci licet quae Deo soli sunt neque ulli praeter ipsum attribuenda (2); et mirifice illustratur tum diversitas tum analogia quae est inter Deum eiusque opera, quam quidem et diversitatem et analogiam Concilium Lateranense IV sic expresserat: Inter Creatorem et creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos maior sit dissimilitudo notanda (3). — Ceterum,

(1) *Contra Gentiles* lib. II. c. III et II.

(2) Ib. c. III; et I, q. XII, a. 4; et q. LIV. a. 1.

(3) *Decretal. II^a Damnamus ergo*, etc. Cfr.

his Thomae principiis, si generatim atque universo de iis loquamur, non alia continentur, quam quae nobilissimi philosophorum ac principes Doctorum Ecclesiae meditando et argumentando invenerant de propriis cognitionis humanae rationibus, de Dei natura rerumque ceterarum, de ordine morali et ultimo vitae fine assequendo. Tam praeclarum autem sapientiae copiam, quam hic a maioribus acceptam suam prope angelica facultate ingenii perpolivit et auxit et ad sacram doctrinam in mentibus humanis praeparandam, illustrandam tuendamque (4) adhibuit, nec sana ratio vult negligi nec Religio patitur ulla ex parte minui. Eo vel magis quod si catholica veritas valido hoc praesidio semel destituta fuerit, frustra ad eam defendendam quis adminiculum petat ab ea philosophia. cuius principia cum Materialismi, Monismi, Pantheismi, Socialismi variique Modernismi erroribus aut communia sunt, aut certe non repugnant. Nam quae in philosophia Sancti Thomae sunt capita, non ea haberi debent in opinionum genere, de quibus in utramque partem disputare licet, sed velut fundamenta in quibus omnis naturalium divinarumque rerum scientia consistit: quibus submotis aut quoquo modo depravatis, illud etiam necessario consequitur, ut sacrarum disciplinarum alumni ne ipsam quidem percipient significationem verborum, quibus revelata divinitus dogmata ab Ecclesiae magisterio proponuntur».

Qui igitur ullum vestigium, praesertim in metaphysicis, ab Aquinate discedant, id non sine magno detimento facient; quin imo ii profecto aberrabunt, qui, quae in ipsius philosophia principia et pronuntiata maiora sunt, illa perverse interpretentur aut prorsus contemnant.

Monitis autem magistris «non ideco sibi factam esse potestatem docendi, ut sua opinionum placita cum alumnis disciplinae suaem communicent, sed ut iis doctrinas Ecclesiae

S. Thom. Quaest. Disp. *De scientia Dei*, art. 11.

(4) In librum Boetii *De Trinitate*, q. II, a. 3.

probatisimmas impertiant», ad disciplinam theologicam Pontifex transit. Quam ad collendam altius, quemadmodum coli debet in Universitatibus studiorum magnisque Athenaeis atque etiam in iis omnibus Seminariis et Institutis, quibus potestas facta est academicos gradus conferendi, « omnino oportet, veteri more, qui nunquam excidere debuerat, revocato, de ipsa *Summa Theologica* habentur scholae: eo etiam, quia, hoc libro commentando, facilius erit intelligere atque illustrare solemnia Ecclesiae docentis decreta et acta, quae deinceps edita sunt. Nam post beatum exitum Sancti Doctoris, nullum habitum est ab Ecclesia Concilium, in quo non doctrinæ suae opibus interfuerit».

Hinc Pontifici occasio fit memorandi singularia paeconia quae de Aquinate ediderunt præsertim Ioannes XXII, S. Pius V, Benedictus XIV; denique hisce verbis gravissimis litterae concluduntur: « Itaque ut genuina et integra S. Thomae doctrina in scholis floreat, quod Nobis maxime cordi est, ac tollatur iam illa docendi ratio, quae in magistrorum singulorum auctoritate arbitrioque nititur ob eamque rem mutabile habet fundamentum, ex quo saepe sententiae diversae atque inter se pugnantes oriuntur, non sine magno scientiae christianaem detrimento (1), Nos volumus, iubemus, præcipimus, ut qui magisterium sacrae theologiae obtinent in Universitatibus, magnis Lyceis, Collegiis, Seminariis, Institutis, quae habeant ex apostolico indulto potestatem gradus academicos et lauream in eadem disciplina conferendi, *Summam Theologicam* S. Thomae tamquam paelectionum suarum textum habeant, et latino sermone explicent: in eoque sedulam ponant operam ut erga illum auditores optime afficiantur... Sic autem, et non aliter, fiet ut non modo in pristinum decus revocetur theologia, sed et sacris omnibus disciplinis suus ordo suumque pondus restituatur, et quicquid intelligentia et ratione tenetur, quodammodo revirescat.

Quare nulla in posterum tribuetur cuiquam Instituto potestas conferendi acade-

micos in sacra theologia gradus, nisi quod hic a Nobis præscriptum est, sancte apud ipsum servetur. Instituta vero seu *Facultates*, Ordinum quoque et Congregationum Regularium, quae legitime iam huiusmodi potestatem habeant academicos in theologia gradus aut similia documenta conferendi vel tantum intra domesticos fines, eaedem privabuntur privataeque habendae erunt, si post tres annos, quavis de causa etiamsi minime voluntaria, huic præscriptioni Nostræ religiose non obtemperarint».

S. Congregatio Rituum.

De diebus ad nonnulla festa recolenda constitutis.

Ad maiorem uniformitatem obtinendam, non obstante decreto S. R. C. diei 28 mensis Octobris MCMXIII, nisi aliter a Sacra eadem Congregatione provideatur, festum S. Familiae celebretur die 19 Ianuarii; festum SS. Redemptoris, 15 Iulii; et festa B. M. V. de Purissimo Corde, Sabbato post Octavam SS. Corporis Christi — de Perpetuo Succursu die 27 Junii — de Gaudiis die 27 Augusti — de Consolatione, Sabbato post festum S. Augustini Ep. Conf. et Eccl. Doct. — de Maternitate d. 11 Octobris et de Puritate d. 16 eiusdem mens. Octobris. (Ex deer. diei XXVIII mensis Aprilis MCMXIV).

De sacra synaxi Sabbato sancto fidelibus distribuenda.

Iuxta praxim et decreta (præsertim deer. n. 2561 *Tiernaten*. d. 22 mens. Martii 1806) licet in Sabbato sancto inter Missarum solemnia sacram Eucharistiam fidelibus distribuere, et etiam expleta Missa.

(Ex deer. diei XXVIII mensis Aprilis MCMXIV).

Spatio hodie deficiente, ad proximum numerum:

VITUS

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Romae, ex off. I. Bertero et Soc. (*Via Umbria*, 27).

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ~ ~

IN HONOREM ROGERII BACONIS

Rogerius Bacon, qui *Doctoris mirabilis* cognomen meruit, Ilchester, in Somerset Anglica provincia natus est anno p. C. n. MCCXIV. Oxonii primum atque deinde in athenaeo Parisiensi, ubi theologiae doctrinae laurea insignitus est, studiis vacavit, post quae in Angliam rediit atque Francisci Asisiensis Fratrum Minorum regulam est amplexatus. In solitudinem sic digressus, scientiae illi magis magisque sibi acquirendae totus incubuit, ad quam naturali spiritu tractus iam a teneris unguiculis videbatur: dicitur enim vel a pueris exce- dens, latinam, graecam, hebraicam arabicamque linguam optime calluisse.

Atqui reapse sapientiae omnis partes per eum provectae sunt. Grammaticen ac philologiam ad sacrarum rerum studium expediendum ipse vocavit; matthesim necessarium instrumentum edixit ad ceteras disciplinas adeundas; ac re confirmavit, quando, inter alia, Iuliani kalendarii reformationem primus proposuit, quae, Copernico etiam sollicitante, a Gregorio PP. XIII post saecula tandem inducta est. Quum autem diutinos in libris labores exercuisset cognitionesque

suas etiam tum indigentiae plenas sentiret, intimius naturae secreta penetrandi cupidus, praetermisso — ut ipse ait — Aristotele, in rerum comprehensionem intendit propriis experimentis usus. Proculdubio rerum illa aetate condicio erat, ut errores vitare impossibile foret: in eosque et noster incidit, qui alchimiam quoque impense coluit. Quamquam satis rationabiliter, neque superstitione nimia, ut mos tum erat, apprime invasus; lapidis enim illius philosophalis inquisitio, ei fuit praecipue investigatio, qua ratione metallum quoddam per ignem edolaret, ad instar naturalis actionis in fodinis. Nihilo minus peritiam eius magices arguerunt, cuius poenas effugere non valuit, nisi quum Clemens PP. IV, Baconis sapientiae rectus aestimator, in Petri solio sedit.

Pontifice vita functo, annorum gravis iniuriisque exagitatus, anno MCCXCIV Oxonii obiit Rogerius, cui Sodales et Anglii cives hisce diebus debitos, quamquam tardos honores sollemniter tribuerunt, qui in hisce paginis relati sunt.

(1) Cfr. Leonis XIII Epist. *Qui te dat*. die XIX mens. Iunii MDCCCLXXXVI.